



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

I. Investigandum deinceps superest quonam demum tempore desierit magna illa Thessalonicensis Episcopi auctoritas in Illyrico. Tum etiam agendum de vicariatu Archiepiscopi primæ Iustinianæ & Episcopi ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

V. Vicariam illam dignitatem Agapeti successor Vigilium tribuit Archiepiscopo primæ Iustinianæ per sex provincias illi contributas.

VI. Illustrissimus Cardinalis Baronius refellitur, qui putavit ista à Vigilio extorta per vim fuisse. Referuntur Baronij argumenta.

VII. Excitantur singula illustrissimi Cardinalis argumenta.

VIII. Nova illa Archiepiscopi primæ Iustinianæ dignitas accepta non fuit Episcopis Illyricianis, præcipue verò Thessalonicensibus. Benenatus Episcopus primæ Iustinianæ damnatus in synodo Illyriciana. Probatur ex Victore Tunnonensi, qui explicatur. Illyricianorum Episcoporum nomine interdum intelliguntur universi Episcopi Illyriciani, interdum verò illi tantum qui Iustinianæ primæ Archiepiscopo subiecti erant. Senonensis Archiepiscopus diu Parisiensem non habuit pro Archiepiscopo.

IX. Nihil tamen contradictione sua effecit Episcopus Thessalonicensis, mansitque novo Archiepiscopo sua auctoritas. Probatur ex sancto Gregorio. Causa personæque Episcoporum primæ Iustinianæ subiecta erant censura Pontificum Romanorum.

X. Ampli illa Archiepiscopi istius auctoritas effecit ut ei Patriarchæ dignitas & appellatio tributa sit à nonnullis antiquis scriptoribus.

XI. Corinthio quoque Episcopo tributa sunt vices Romani Pontificis in Achaia & Hellade. Probatur auctoritate Facundi, Gregorij Magni, & Balsamonis.

XII. Abolita est prorsus Episcopi Thessalonicensis auctoritas in Illyrico ævo Leonis Isauri, qua restricta est intra fines solius Macedonia primæ.

I. **S**ATIS, ut arbitror, ac forsitan nimis immorati sumus in explicanda dignitate Episcopi Thessalonicensis, ut opus non sitire per omnes sequentium temporum ætates. Sed necessarium visum est nihil omittere, quòd in istius potestate & mandatis ferè consent quæcunque sequentibus seculis aut mandata Legatis sunt, aut ab illis præsumpta. Superest itaque ut ostendamus quonam tempore defierit Episcopi illius auctoritas in Illyrico, quo primum pacto convulsa, quibus de causis imminuta extinctaque fuerit. Simul autem agemus de primæ Iustinianæ Archiepiscopo, qui Vicarius apostolicæ sedis fuit per aliquot Illyrici provincias, & de Corinthiensi, qui eandem Vicarij auctoritatem obtinuit in Achaia & Hellade.

II. Prima adversus Thessalonicensem Episcopum tentamenta fuere ævo Theodosij junioris, qui quorundam Illyricianorum Episcoporum suasionibus permotus, orientalis Illyrici causas ad curam Constantinopolitani Episcopi pertinere debere sancivit lege lata anno CDXXI. ut dictum est suprâ. Sed hic conatus irritus fuit. Haud ita multò post Perigenes Corinthiorum Episcopus, adeoque provinciæ Achaia Metropolitanus, Anastasij Thessalonicensis auctoritatem excutere tentavit. Sed hanc audaciam missis Legatis & data ad eum epistola repressit

Sixtus III. Pontifex Romanus. Sub Leone deinde, qui Sixto successit, Anatolius tentavit in partes suas trahere Episcopos Illyricianos; ut docuit nos in capite superiori epistola ejusdem Leonis ad Iulianum Coensensem Episcopum. Felicior fuit Archiepiscopus primæ Iustinianæ: qui non solum potestati Thessalonicensis Episcopi exemptus est, sed etiam vicariatu sedis apostolicæ ornatus in quibusdam provinciis Illyricianis, in quas imperium abrogatum est Episcopo Thessalonicensi. Quod qua ratione factum sit, paucis expediam.

III. Iustinianus Imperator, patriæ suæ Achridæ sive primæ Iustinianæ (qua civitas fuit in Dardania Europæ) ornandæ cupidus, volensque eam circa sacerdotalem censuram, ut ejus verbis utamur, maximis incrementis ampliari, constituit anno DXXXV. uti primæ Iustinianæ antistes, non solum Metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus fieret, & ut sub ejus auctoritate essent provinciæ Illyricianæ quæ sequuntur, Dacia nimirum mediterranea, Dacia ripensis, Mæsia secunda, Dardania, Prævalis, & pars aliqua secunda Pannoniæ quæ Bacensis civitati contributa erat. Ius autem omne in provinciis illas abrogat Episcopo Thessalonicensi, tam pro celebratione Conciliorum, quam pro ordinationibus Metropolitanorum, quos ad consecrationem Archiepiscopi primæ Iustinianæ pertinere in posterum debere sancivit, ita ut ipse à generali provinciarum illarum synodo ordinaretur. Postremis autem verbis legis ista omnia, quæ paulò antè multis verbis explicaverat, velut compendio perstringit, ita scribens ad Catellianum Archiepiscopum primæ Iustinianæ: *Quando autem tue recordationis sedis gubernatorem ab hac luce decedere contigerit, pro tempore Archiepiscopum ejus à venerabili suo Concilio Metropolitanorum ordinari sancimus, quemadmodum decet Archiepiscopum omnibus honoratum Ecclesiis provehi, nulla penitus Thessalonicensi Episcopo nec ad hoc communionem servanda.*

IV. Eodem tempore Iustinianus apud Agapetum Pontificem Romanum egit uti is novo huic Archiepiscopo vices apostolicæ sedis injungeret, nimirum per illas provincias quæ suprâ nominatæ sunt. Quid ad hanc petitionem rescripserit Agapetus, non invenimus. Ex epistola autem ejus ad Iustinianum, qua rem totam se per Legatos significare ait, & ex Novella Constitutione cxxx. ejusdem Iustiniani, in qua vicariatum illum revocat ad beneficium Vigilij, nulla mentione Agapeti facta, colligere possumus illum vices suas noluisse concedere Archiepiscopo primæ Iustinianæ, fortassis æmulatione erga

L iij

Infla. Nov. xi.  
Vide supra Lib. 2.  
cap. 9. §. 1.